

1863

C O D I C E S

1864

Autoris damnati? Accedit Sermo de S. Antonio, quem vix Augustiniano prae Franciscano adscribas. — His ita mecum expensis venit in mentem *Quadragesimalis Jacobi de Voragine*, de quo ipse ita in *Chronica sua Januensi*: *Fecit et sermones de omnibus evangelis, quae singulis feriis in quadragesima leguntur — usque ad tertiam feriam post pascha, de quolibet evangelio faciens duos sermones. Istud opus sic incipit: Filia populi mei induere cilicio &c.* Consulo Editiones, et ipsissimum *Quadragesimale* nostrum deprehendo, quod cum imperitus F. *Nicolaus Michaeli* cuidam inscripisset, peritior *Revisor* inscriptioni lineam induxit, quin tamen Autoris genuini nomen reponeret. Atque haec non raro conjecturarum nostrarum fors est. Ceterum Codex in Bohemia exaratus videtur e voce *Mutba*, vulgo *Maut*, quo nomine duo sunt ibidem Oppida. Pro *Mutba* etiam *Mita*, quin et *Mutina* occurrit, quod fortasse Diminutivum est.

## DCCLXXV.

U. 576 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 214. 4. per duas columnas luculente perscriptus, rubro distinctus, et quondam *M. Johannis Drossinger*, ita inscribitur: *Incipiunt sermones quadragesimales compilati per fratrum Jacobum de uaragine archiepiscopum Januensem.* Vir hic maxime notus a congeffis SS. *Vitis*, seu *Legenda*, quae successu temporis *Aurea* et *Lombardica* dicta, in plures lin-

guas versa, et ab inventa Typographia multoties excusa fuit, ortu *Ligur* ab oppido patrio *Varagio*, *Varaze*, *Viraze* corrupte faepius adpellatus *de Voragine*, ex Ordine Praed. adsumtus ad *Januenses* infulas obiit a. 1298. Igitur Codex noster ejus tempora prope contingit. De eo ipsemet ita in *Chronico suo Januensi*: *Fecit et sermones de omnibus evangelis, quae in singulis feriis in quadragesima leguntur, scilicet a quarta feria cinerum usque ad tertiam feriam post pascha, de quolibet evangelio faciens duos sermones. Istud opus sic incipit: Filia populi mei induere cilicio.* Addam: et finit: *et beati dominici patris nostri ipse filius dei nos perducatur qui cum patre et spiritu sancto per infinita secula regnat Amen.* Editiones hujus *Quadragesimalis* et alia ad Autorem pertinentia praesto sunt in *Scriptt. Ord. Praed. T. I. p. 454.*

## DCCLXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3151 XIV. Folior. nunc 92. 4. partim per duas columnas, partim lineis longis exaratus a diversis, rubro distinctus et olim *Monasterij S. dorothae in Vienna* compilatus est e sequentibus: I. *Sermo Wilbelmi in aduentu primus.* Incipit: *Dies autem appropinquavit &c. Dies iste spiritualiter potest intelligi dies natalis domini &c.* Est igitur Series Sermonum in Epistolas Dominicarum per annum *Guilielmi*, quem Germani passim *Wilhelmum* scribunt, non *Alverni* sive *Ep. Parisien-*